



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Annus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

A Hinc apud conjectores invenias, quod etiam vester Hippocrates Medicis non otiose observandum præcipit: *Si visus Sol in somniis obscurari, occultareve, aut nusquam apparere, periculum instare ut aegro vitam amittat. Si vero vim alicujus insequentis ipse Sol aufugiat, decumbentem in furorem agi præcipit.* Mentis enim lumen eo signo labefactari, inquietari, ac loco exturbari suo. Quæ cum quis imaginatus fuerit, sollicitus admodum est Hippocrates, ut ægroto certa victus ratione obviam eatur. Tantam vero Sol prærogativam in iis, quæ ad nutriendi rationem spectant, habet, ut Physici omnes ex calore & humore nostrum constare incrementum asserant. Nam & Hesiodus posteaquam fluviorum quorundam nomenclaturam absolvit, subjecit mox: hos esse qui mortale genus enutrient, una cum Sole. Interpres addit: *Aqua enim & Sol nutriendi vim habent, eorumque beneficio res aluntur & gliscent.* Inde Cæcilius de flore quodam vivido: *Dum mulcent aure, firmat Sol educat imber.*

## ANNUS. CAP. X.

B Apud Aruspices Sol annorum significatum habet, quorum ipse Dominus est. Quodque ad hanc rem facit, Cyri somnium memoratur, scilicet imaginatus per quietem sit, Solem ter manibus apprehendere frustra appetuisse: siquidem convolvebat se Sol, & elapsus abire videbatur; hinc Magi dixerunt, eum triginta annos regnaturum, quo scilicet tempore Saturnus Solem eodem assequitur puncto, unde simul deferri cœperat. Id utcumque interpretatum fuerit, tamen ipsis commentum placuit.

## GRÆCI. CAP. XI.

Agyptii vates per Solis imaginem Græcos in prodigiis intelligi tradidere, cujusmodi rei nota est historia. Cum Alexander Macedo Tigrin fluvium superasset, paulo post Luna prima vigilia defecit, deinde sanguinis colore suffuso lumen omne sedare visa est: quod Macedones laborum periculi dirum arbitrabantur, resque ad omnium desperationem processisset, nisi vates Agyptii quorum doctrina omnis per rerum imagines explicabatur, affirmassent, bene sperandum esse, quod Sol Græcorum, Luna Persarum indicium esset: ideoque ruinam stragemque eo ostento illis gentibus portendi, quorum signum laborare visum esset: quod effectus postmodum comprobavit. Interferere autem hieroglyphicis prodigia, somnia & ostenta licet, quia manifesta inter se congruunt germanitate.

## PATER, MATER, LIBERI, CAP. XII.

Sed ut ad hieroglyphica nostra redeamus, cum Sol generationis arbiter existat, Luna veluti lac humorem significat ad nutrimentum, liberi vitæ lumen à patre fortiantur, non temere apud Hebræos Josippus puer imaginatus est sopore oppressus se à Sole Lunaque & stellis undecim adorari: nam quod Patrem simul & matrem, & fratres totidem in olim facturos, tunc ostensum, eventu postea comprobatum, cum illi annona præfecto, & maxima quæque negotia Regis in Aegypto administranti, cum nondum eum agnoscerent, procubuerunt.

## PRÆGNANTIA. CAP. XIII.

Sed quod ad partus attinet, manifestissimo hieroglyphico id Agyptii figurare consueverunt, apud quod bipartitus Solis orbis, in media cujus scissura Stella imposita esset, humanum fœtum in prægnantis mulieris utero significabat: non ea tantum de causa, quod uterum in corpore medio situm solari corpori ob rotunditatem æquipararent, sed quia Sol conceptus omnes irradiatione sua vivificat: à quo vitalis virtus præcipuè demanat, quod quidem Aristoteles Physicæ Auscultationis secundo affirmat: gigni hominem ex homine & Sole profectus. Veluti vero Stella lumen à Sole mutuatur, ita fœtus in utero alimentum à matre consequitur. Neque hujus eruditionis imperitus Lucretius, cum Epicurum illum suum mortalibus vitæ tranquillæ intia dedisse conaretur ostendere, mortales reliquos Stellas dixit, Epicurum vero Solem appellavit, his versibus:

*Ipse Epicurus obit decurso lumine vitæ,  
Qui genus humanum ingenio superavit, & omnes  
Præfixit stellas exortus uti atherius Sol.*

Aaaa 3

At